

94) ibidem. si quem coire noles, fierique cupies in usu venerio tardio-  
riorem, de lucerna, quae sponte exstinguetur, fungos adhuc vi-  
ventes in potione ejus exstingue, bibendamque inscio trade: confestim  
enervabitur.

95) cap. 34 p. 236. frumenti grana novem in tegula candenti com-  
bures et in cinerem rediges, et cymini, quot duobus digitis pollice et medi-  
cinali tenere potueris, addes.

96) ibidem. verrucas minores congestas, quas Graeci myrmecidas  
vocant, ut abstergeas hoc facito. nocte cum videris stellam quasi  
praecipitem se ad aliam transferentem, eodem momento locum, in  
quo verrucae erunt, quacunque re volueris, deterge, protinus omnes ex-  
cident. quodsi manu tua nuda id feceris, continue ad eam transibunt.

97) ibidem. lapillum quemlibet involutum hederæ folio ad ver-  
rucam admoveto, ita ut eam tangat lapillus, atque ita celebri loco abjicito,  
ut ab aliquo inventus colligatur: miro modo ad illum, qui collegerit,  
verrucae transferuntur, et ideo quot fuerint verrucae, tot lapillis tangi  
debent.

98) cap. 35 p. 240. de tribus tumulis terrae, quos talpae faci-  
unt, ter sinistra manu quot adprehenderis tolles, hoc est novem pugnos  
plenos, et aceto addito temperabis.

99) cap. 36 p. 246. pueri inpubis detonsi super pedes dolen-  
tis capilli atque illuc aliquandiu compositi compescunt dolorem.

100) cap. 36 p. 260. carmen idioticum, quod lenire podagram dicitur  
sic. in manus tuas expues, ante quam a lecto terram contingas, et a sum-  
mis talis et plantis usque ad summos digitos manus duces et dices

fuge, fuge podagra, et omnis nervorum dolor

de pedibus meis et omnibus membris meis!

aut si alii praecantas, dices illius quem peperit illa,

venenum veneno vincitur,

saliva jejuna vinci non potest,

ter dices haec et ad singulas plantas tuas, vel illius, cui medebere, spues.